

Exercitatio medica de aere morbifico ... / [Christoph Erasmus Gockel].

Contributors

Gockel, Christoph Erasmus, active 1694-1695.
Hoffman, Johann Moritz, 1653-1727.
Universität Altdorf.

Publication/Creation

[Altdorffii] : Excudit Henricus Meyer, [1694]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/g45qyszq>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

EXERCITATIO MEDICA

de

AERE MOR- BIFICO,

Quam

PRÆSIDE

DN. JOH. MAVRICIO
HOFFMANNNO,

Philos. & Medic. D. Chem. atq; Anatom.

Prof. Publ. celeberrimo,

Facultat. Medicæ h. t. DECANO spectatissimo,

Academiae; LEOPOLDO-IMPERIALIS Naturæ

Curiosorum Adjuncto,

DN. PRÆCEPTORE, FAVTORE atq; Studiorum

suorum PATRONO Optimo, æviternumq;

de venerando, colendo,

Publicæ Commilitonum disquisitioni

subjiciet

CHRISTOPHORVS ERASMVS GOCKELIVS,

Ulmenf.

Autor & Respondens.

Altdorffl Hab. d. xvi. Junij, A. cId Idc XCIV.

Excudit HENRICVS MEYER, Acad. Typographus.

E ILLVSTRISSIMO ac GENEROSISSIMO

S. R. I.

L. BARONI ac DOMINO,

DOMINO

CHRISTOPHORO

ERASMO,

L. BARONI à RAGKNIZ,

Domino in Perneck, S. Ulrich, Ober-
Marpurg & Ober-Kinberg, Haunsheim, Bergen-
weiler & Dornenstatt &c. &c.

SERENISSIMI ac CELSISSIMI

ELECTORIS PALATINI RHENI

CAMERARIO

SPLENDIDISSIMO, &c.

Domino suo gratiosissimo.

S.

LVSTRISSIME ac GENEROSISSIME




Domine L. B A R O,

Domine gratiosissime,




*Mecenas ac Evergeta, eâ quâ par est animi
submissione æviternum devenerande.*






Agnos semper Patronos extitisse,
qui clementiâ insimul & liberali-
tate suâ studia ingenuarum artium
ac disciplinarum promoverere, suis-
que clientibus auxiliatrices manus
porrigere, sicq; bono publico con-
sulere, cum immortalij magni No-
minis sui deprædicatione, non dubitarint, nullus est



qui nesciat, id quod etiam innumera gloriosissimorum
exempla testantur. Hisce autem bonarum ac libe-
ralium artium Promotoribus ac Evergetis non solùm
jam in Domino quiescens *Illustrissimus ac Generosissimus*
L. BARO ac Dominus, Dominus ZACHARIA
GEIZIGHOFER, Dominus in Haunsheim, &c. &
utpote Stipendii sui benignissimus ac liberalissimus
FVNDATOR, sed etiam TV, Illustrissime ac Genero-
sissime Domine L. BARO, Beati Domini Fundatorum
meritissimus Gener, hujusq; Stipendii beneficentissimus
Administrator & Propagator, meritò annu-
randi estis; Quod mecum multi, qui hactenus hoc
Stipendii beneficio ad continuanda sua studia gratiosè
adjuti fuere, confirmabunt, ac sempiterno encomio
deprædicabunt. Præ multis autem aliis clientibus
Divinâ mihi forte obtigit, ut anno 1673, quo
primo lucem hujus mundi vidi, & Sacri Baptismati
undis initiatus sum, *TE Illustrissime & Generosissime*
DOMINE! gratiosissimum Susceptorem, postea ab
anno 1691, quo Athenæum Tubingense aggressus
sum, non solùm benignissimum Stipendii *GEIZIG-*
HOFERIANI Collatorem, sed in hunc usque diem li-
beralissimum maximumq; Patronum habuerim, qui
charissima *TVA Pignora, par Nobile FRATRUM,*
Per-



Per-Illustres ac Generosissimos FILIOS, in alma hac
Unversitate Altdorffina studiis operam navantes curæ
neæ committere decrevisti. Pro quibus magnis ha-
tenus in me collatis beneficiis gratias, quas mente
concipere possum, maximas agere, ratio & æquitas
postulat. Accipe ergò *Illustrissime ac Generosissime*
Domine L. BARO, *Mecenas ac Patrone gratiosis-
sime, omni obsequii ac observantia cultu & viternum
submissè colende*, in grati mei animi tesseram, atque
humilis observantiæ testimonium, munusculum hoc-
ce chartaceum, Dissertationem præsentem Medicam,
studiorum meorum Specimen serena fronte, ac me
ulterius Gratia, favore, ac beneficentia tua prosequi
ac fovere non dedignare. Quam Gratiam atque Pa-
trocinium non solùm indefessis studiis, tandem ali-
quando juvante DEO, publico profuturis, sed etiam
debitis meis *TIBI & Per-Illustribus* Dominis *FILIIS*
præstandis officiis, quantum in me est, & quamdiu
vitalis Spiritus hos meos reget artus, tam in Acade-
miis, quàm in itineribus faciendis fidelissimè deme-
reri annitar. DEVM Ter Opt. Max. indefinentibus
interim exoro precibus, ut TE, *Illustrissime ac Ge-
nerosissime* Domine L. BARO, *Domine & Patrone*
Gratiosissime, cum tota Illustrissima Gente, in ex-
opta-



optato Corporis ac Fortunæ statu benignissimè con-
servet, Nestoreos TIBI annos largiatur, atque con-
tra cuncta Bellonæ aliaque pericula TE potentissimè
tueatur!

ILLVSTRISSIMO ac GENEROSISSIMO

Domino L. BARONI,

*Domino ac Patrono meo gratiosissimo,
ac submissè colendo,*

devotissimus cliens

CHRISTOPHORVS ERASMVS GOCKELIVS,
Med. Stud.

J. J.



J. J.

PRÆFATIO.



*M*isera mortalium & deploranda est post lapsum primorum parentum conditio, ita quidem, ut ex ipsis illis rebus, quibus ad vitæ sustentationem indigent, subinde morbosa suscipiant seminia, ad ægritudinem imò internecionem corporis humani tandem progerminatura. Neque verò è longinquo testimonia peti de-

vent, cum experientia id quotidiano aëris exemplo confirmet; ex hoc quippe tametsi principium vitale homines viventes petant, & postquam semel angusto uteri carcere emancipati, in patentissimum mundi theatrum immissi libertate frui cœperunt, pro continuando fluidorum vitalium motu, atque moderandâ elasticitate intrinsecâ ejusdem beneficio necessario tam intra quam extra nunquam carere possint, morborum tamen plurimorum inde primitivam quoque captant causam: hinc eruditè Gualter. Charlton in Exercitat. Patholog. V. 2. scripsit: Aër ut Ζωῆς αἴτιον vitæ causa quodammodo digne reputetur, ita & interdum ὁμοθυμῶν μίαι, mortis existit auctor, ubi à nativâ sua & ad vitam conservandam requisitâ salubritate desceverit. Si is enim bene constitutus animalium omnium, maxime quæ donantur organis respirandi, vitam tuetur ac con-

A

servat,

servat, cur malè constitutus, eorundem vitæ pariter non incommodet? Quod ipsum cum mecum reputaverim, speciminis publici materiam mihi præbere visus est aër morbificus scrutinio ulteriori eò magis dignam, quò magis ejusdem inevitabile sæpius damnum nos premit, afficit, perimit. DEVS à cujus imperio omnis aër pendet, Divinae suæ gratiæ auram benignam proposito meo adspiret, ne ve aëris morbifici malignam sentiamus noxam faxit!

THESIS I.

A Erem ergò morbificum declaraturus, prolixam haud impendam operam, in describendâ è philologorum placitis nominis ratione; tantùm breviter innuisse sufficiat, nomen latinum Aër ad imitationem Græci ἀἴρ, originem habuisse aut ab ἀἴρω, i. e. spiro, aut quoniam ἀἴρ περὶ aër in perpetuo motu est, aut uti quidam autumant ἀπὸ τῆς ἀίρου, ab eo, quòd ferat terram, vel quòd feratur.

II.

Neque morabor varias aëris significationes, quando is nunc pro vento, spiritu, flatuq; modico, accipitur, ut apud *Virgilium* legimus:

Aëra dimovit tenebrosum & dispulit umbras;

nunc pro sono sumitur, uti à *Varrone* dictum deprehendimus, dum ait: animam, ut conclusa in vesica, quando est arctè ligata, perculeris, aëra reddet: vel pro nebula usurpatur, uti *Horatius* & *Virgilius* fecit: Ille quidem Lib. II. Od. VII.

*Sed me per hostes Mercurius celex
Denso paventem sustulit aëre:*

Hic verò Lib. II. Georg. v. 123.

--- *Vbi aëra vincere summum
Arboris haud ulla jaëtu potuere sagitta.*

vel pro tuborum cavitate, quâ aëra trahunt fistulæ, non id adhibetur. *Senec. Lib. III. Quint. IV. c. 24.* facere solemus dracones, milliaria & complures formas, in quibus aëre tenui fistulas struimus.

III.

Quin potius sub aëris notione totum quod circa nos undiquaq; proximè est comprehendendo fluidum, triplici materiâ perfusum, ita quidem ut alia crassior, gravior & elastica, exhalationibus & vaporibus referta, ac propriè atmosphæra dicenda, alia subtilior, corpora quæque subiecta utique premens, alia denique subtilissima & ætherea, pondere omni & vi elasticâ destituta, habeatur: Quod si verò quis mallet cum *Clariss. Henrico Mundio* in sua *Πνευματολογία seu commentario de aëre vitali esculentis ac potulentis cap. 1.* aërem appellare materiam fluidam, quæ immenso spatio diffusa terram & cæteros planetas completatur, & ejus partem superiorem à terra remotam, quæ purissima est, & à miasmate quovis terrestri immunis, cælestem & ætheream nominare; alteram quæ terræ proximè incumbit, vaporibus & exhalationibus oppletur, atmosphæram dicere; demumq; hujus rursus duas regiones recensere, in quarum superiori vaporum & exhalationum apothecas divina sapientia condiderit, unde quoties lubet nubium, fulminum & ventorum materiam derogat, in inferiori focum seminibus rerum fovendis idoneum, & eorum in vitam productorum conservatio- ni aptum constituerit; nec ulli ita sentienti ullam movendo litem.

IV.

Per aërem igitur morbificum intelligo totum, supra, circa, & infra nos, proximè ambiens fluidum, sive cum *Quintiliano* circumfusum nobis spiritum, variæ consistentiæ, molis, figuræ, virtutis, & materialis originis moleculis refertum, partes fluidas solidasque corporis nostri diversimodè morbosè afficiens.

V.

Eapropter nunc statim inquirere juvabit, in modos generales, quibus aër in corpus hujusq; partes tam solidas quam fluidas agere solet, dum deinde demum modos speciales, quibus ipse morbosas agere solet tragœdias varias, indagasse expediet: Primò igitur aër corporis partes solidas fluidasq; afficit, quatenus corpus ambit, atque pororum fibrarumq; cutanearum, tum glandularum subjectarum, vasorumq; hucusq; exporrectorum, inductâ nunc relaxatione, nunc adstrictione præternaturali transpirationem insensilem variè alterat, nuncq; nimium auget, nunc intercipit, nunc derepentè immutat: Secundò quatenus idem pressione sua sive elatere externo elateri interno humoroso-spirituoso-aëreo minùs proportionatus est, & vel hunc supprimendo stagnationibus, obstructionibus, & inde dependentibus inflammationibus aliisve tumoribus occasionem præbet; vel huic cedendo atq; impar evadendo, inflationibus variis partium membranaceo-nervearum, cavarum, diversimodè contextarum, occasionem præbet, quam contentorum respectivè fluidorum effusio morbida hinc inde comitatur: Tertio quatenus idem aër per ossis cribrosi spiracula spiritu sanguinemq; una cum medullari cerebri substantia attingit. Quarto per Aquæ ductum Fallopiantum tympani cavitatem & auris internæ recessus absconditos subintrat
ne

nec minùs probabiliter Quintò per futurarum interstitia foraminaq; cranii vasis im- & emittendis destinata sese insinuat, ac consequenter rursus ad cerebrum ejusq; contenta penetrat. Sextò lympham glandularum oris, narium, esophagi, ventriculi & intestinorum, cum sanguine & spiritibus aliisq; humoribus hinc inde obviis, nempe chylo, bile, succo pancreatico &c. variè afficit; atque interea quando simul per rimulam laryngis in asperam arteriam, seu bronchum & bronchia pulmonalia hisque appensas vesiculas orbiculares pnevmonicas sese insinuat, humores spiritusq; ibidem præsentés diversimodè movet & immutat. Atque sic Septimò per totum corpus sese diffundit, quatenus canalem æque alimentorum ac sanguinis pervadit, fluidorumque catholicorum com meatum reciprocum sequitur, quorum etiam crasin, motum intestinum & progressivum, fluiditatemq; seu consistentiam tunc variè determinare potest.

VI.

Quibus præmissis agendum circumspiciamus nunc ordine & distinctè, quot modis specialibus aër foecundus morborum plurimorum parens, fieri possit ac soleat? Hic verò primò omnium notamus, id perpetrare aërem immoderato qualitatatum primarum vulgo sic dictarum excessu; siquidem aër excessive calidus internè quidem particulas sanguinis sulphureo-salinas nimium exagitat, accendit & quasi inflammat, subtiliores easdem & spirituosas dissipat, discutit, chyloso-balsamicas nutricias liquat, undit, serosas evaporabiles absument, salinas in fluorem aligit, bilemque cum lymphâ acriorem efficit, demumq; sanguinem insequentis coagulationis promptitudini obnoxium reddit; externè autem habitum corporis nimium rarefacit, poros aperit, ac ultra modum laxas transpirationi insensibili & sudori concedit habenas; sicque cor-

pus exurit, exsiccat, partes varias inflammationis periculo exponit, dolores à causâ calida aliàs deduci solitos in partibus membranaceo-nerveis intendit & exacerbât, atque demum excretionibus colliqvativis hinc inde ansam præbet; quare *Henricus Mundius l. c. cap. 2.* huc apposite ita scripsit: In calidioribus plagis Elephantiasis, aut scabies cutim deturpant: Cholerae, dysenteriae, & Ileï intestina torquent: Causi & omnimodæ febres sanguinem inflammant. Omnes denique morbi à bile orti hinc dominantur. Morbi etiam pestilentiales, qui in regionibus magis temperatis vix nisi contagione propagantur, in calidioribus plagis spontaneo ortu sæpe emergunt, luesque Tartarea, quæ omnes terras invasit, meridionalibus tantum originem debet. Nec morbos modo, sed & mortem quoque præsentaneam sæpe attulerunt cœli ardores, propè dictam Ormuziam totus exercitus auræ candentis, ab arenosis desertis delatæ, afflatu suffocatus periit. Mercatores etiam sæpenumerò cum camelis iter per arenas tendentes in ipso itinere concidunt, vehementi solis æstu extincti.

VII.

Contra aër intemperatè frigidus fluida catholica coagulat, & ad stagnationem disponit; ad p. n. acorem suscipiendum eadem deducit, fibrarum nervearum corrugationem spasmodicam dolorificam infert, glandularum subcutanearum meatus constringit, poros cutaneos coarctat, sicque sudorem inhibet, insensilemque transpirationem intercipit; ut hinc febres, tumores, dolores partium membranaceo-nervearum frigidi, catarrhi, & alia exsurgant mala; insuper ulceribus, vulneribus, membranis, ossibusque denudatis aër frigidus infensissimus obvenit.

II X.

Porro aër hùmîdus morbidus non minùs existit , si-
quidem feri accumulât copiam , illudque intra glandulas
molliores redditas coacervari facit , fibrarum adhæc ner-
vearum membranacearum tendinosarum ac carnosarum
tonum relaxat , ac consequenter totum corpus ultra mo-
dum humectando enervat , cruditatibusque excipiendis
obnoxium reddit , præcipuè autem rheumatismis , febri-
bus putridis , ulceribus foetidis , anasarcaë , cachexiæ , pa-
ralysi , phthisi , & pluribus aliis morbis à colluvie ferosâ
dependentibus , tum speciatim ab *Hippocr. Sect. III. Aph. XVI.*
parte priori propositis januam pandit amplissimam.

IX.

Siccus denique aër squalorem corpori inducit , tabi-
disque & phthificis exitium minatur , fibras membrana-
ceas , nerveas , tendineas , carnosasque rigidas reddit , &
ad contracturam seu ariduram invitât , bilem ingenerat
retorridam , alvum constipât , fauces exurit , sitimque in-
tensissimam efficit.

X.

Post intemperiem sciendum , aërem morbosum eva-
dere repentinâ & insolitâ mutatione , qualis quidem nunc
sub diversis anni tempestatibus , nunc sub unâ eademq;
obtingit , sive dein aër repente ex calido in frigidum , ex
humido in siccum , vel viceversa pervertatur , sive ex im-
provîso insolita aëris intemperies longior , e. g. mensibus
æstivis frigida , vel hybernis calida oboriatur . Etenim si
omnis mutatio repentina est periculosa , quanto magis
talis erit ex aëre producta , utpote quæ & interne & ex-
terne totum corpus afficit atque fluidorum catholicorum
motum consistentiam & crasin multipliciter alterat , tum
insuper solennem illam corporis sub insensibili transpiratio-
ne

ne evacuationem multipliciter inmutat. Hinc ex fide quotidianæ experientiae Artis nostræ Princeps *Hippocr. Sect. III. Aph. 1.* scripsit, mutationes anni temporum maxime parere morbos, & in ipsis temporibus magnas mutationes aut frigoris aut caloris & alia pro ratione eodem modo.

XI.

Adhæc aer morbificam sæpe ludit tragoediam quoad suam habitudinem sive consistentiam diversam, nimis siquidem tenuis respirationi & motui vitali impar est, unde etiam ex Illustris *Boylei* tentaminibus factis constat, animalia machinæ pneumaticæ inclusa, aere crassiori evocato, relictoque solum iisdem æthere tenuissimo, protinus spasms tentata expirare; atque hanc in rem aliquoties jam à nobis citatus *Henricus Mundius cap. 8.* memorat: Eos qui *Tenariffæ* cacumen (quod metæ forma longe supra nubes caput æthereum attollit) curiose superant, spongiis madidis naribus admotis aeris nimis tenuis defectum supplere. Quod idem narrat *Aristoteles* ab illis qui *Olympum* ascenderunt factitatum. Est namque tunc externi aeris elater interni aeris elasticitati moderandæ impar, unde ab hoc viscera interna cava nimium expanduntur, inflantur, & fibræ nimix tensionis impatientes ad contractiones spasmodicas irritantur, ut hinc *Josephus Acosta* nauseam & vomitiones, quas gravissimas ipse cum sociis quibusdam passus erat, dum *Pericaccæ*, montis *Peruvianæ* & forsan totius orbis editissimi, juga transiret, non ineptè aeris subtilitati acceptas tulerit. Eapropter etiam *Alexander Celeberrimus Bohnius Circuli sui Physiologico-anatomici Progymnas. V. p. 92.* docuit: fluidum animalium ambiens determinatâ ad intrinsecum gaudere habitudine & relatione; cujus intuitu pisces in aqua, lumbrici, ranæ, serpentes, &c. in terræ cavernis undofis,

is, aves in aeris excelsiore contignatione, reliquaq; animalia in atmosphæra strato inferiore seu terræ vicino degunt, hæcque sua loca naturalia vix sine notabili sui incommodo & vitæ periculo mutant, non tantùm quòd inspirationi horum huicq; analogo fluidum ambiens peregrinum minimè congruum existat, sed simul, quòd fluidis eorum intrinsicis æquilibrium adæquatum non præstet.

XII.

Sed & aër morbificus existere potest ratione motus nimii à ventis impetuosis impressi, quorum vehementiâ dem altiùs poris cutis impellitur, eosque nimium comprimit ac constringit, sicque transpirationem insensilem sufflaminat, atque sudorem coërcet, quin & effluvia varia & miasmata sibi permixta primo impetu & impulsu oculis vasorum ad superficiem corporis usque exporrectis profundius incuneat: Contrà verò tranquillus aër nullâ ventorum vi agitated et si mitis ac lenis appareat, requietæ tamen & stagnantis aquæ more corrumpitur, vapescit atque deficiente eventilatione sanguinis & spirituum activitati excitandæ minùs aptus existit, atq; hinc etiam aër angustiorum hypocaustorum perpetuò clausorum, aut & carcerum liberiori auræ haud perviorum, aut ventorum ventilabris minus expositorum, squalore suo principio vitali animando prorsus impar habetur, fluidaque catholica cum spiritibus vapida omnique virtute elastica orbata relinquit, quod ipsum etiam damno suo experiantur, qui campanis urinatoriis vel similibus machinis subindis inclusi aërem sub reciproco comœatu tandem effectum factum, atque respirationi inidoneum sentiunt, at hinc *Cornelius Drebelius* singulare artificium adinvenit, quo aërem ejusmodi denuò animare poterat, quod quidem

dem retulit Illustris Anglus ad essentiaë alicujus cordiacæ particulas, in vaporem resolutas, & effoetum simul aerem phlegmaticumq; animantes; Celeberrimus verò *Pechlinus* in meditatione de aëris & alimenti defectu & vitâ sub undis cap. 9. in machina Drebeliana id accidisse conjicit, quòd ad singulas effoeti aëris expirationes in idoneum & cameratum cavum (nam & instrumenti hujus mechanicam fuisse rationem necesse est) nonnihil essentiaë falis volatilis oleosifluxerit, quo statim veluti fermento partes aliaë aëris defæcataë & postea secretæ sint, aliaë quoq; magis tenuataë & vividiore aurâ vel potestate elasticâ donataë, ut sic denovo receptæ in pectus sanguinem rarefacere potuerint: atque in eo situm fuisse sophisma existimat, quòd tantum duntaxat istius falis influeret in cavum, quantum ad debitam & naturæ singulorum respondentem rarefactionem erat necessarium.

XIII.

Jam verò ulterius disquirere operæ pretium erit, unde nam aëri effluvia, miasmata & inquinamenta varia advenire possint, ejus crasin ad vitalitatem requisitam corrumpentia? Ubi quidem primò nulli dubitamus cum *ISBRANDO* de *DIFMERBROECK* in tractatu de Peste lib. 1. cap. 8. asseverare, à Deo peccatis nostris irascente, malignissimum, occultum, venenosum, & naturæ humanæ inferissimum pestilens seminarium coelitus demitti, quod minimâ quantitate aëri infusum, instar subtilis cujusdam fermenti sese per aërem dilatet, eumq; inquinet, ac plurimis ejus particulis multis in locis seu regionibus similem venenositatis labem imprimat, per cujus communionem non pluribus tantum unius loci incolis, sed pluribus etiam orbis terrarum partibus pestis plerumque communicetur: hujus namq; asserti veritas Christianis ex lectio-

ne S. Scripturæ luce meridiana clariùs elucefcit, fic enim
 egimus, quòd Deus jufferit Mofen verba hæc ad Pharao-
 nem eloqui *Exodi cap. 9.* Hæc dicit Dominus Deus He-
 bræorum, dimitte populum meum, ut facrificet mihi,
 nunc enim extendens manum percutiam te & populum
 tuum peste, peribitisq; de terra. Et *Levit. 26. cap.* ait Do-
 minus, quòd fi nec fic volueritis recipere disciplinam, sed
 ambulaveritis ex adverso mihi, ego quoq; contra vos ad-
 versus incedam, cumq; confugeritis in urbes vel arces
 munitionis, mittam pestilentiam in medio vestri; & *Deut. 28.*
vers. 21. & 22. adjunget tibi Dominus pestilentiam, donec
 consumat te de terra, ad quam ingredieris possidendam,
 percutiet te Dominus egestate, febre, & frigore, ardore
 & æstu & aëre corrupto ac rubigine. Et *Jerem. Prophetia*
cap. 51. v. 1. hæc dicit Dominus: Ecce ego suscitabo super
 Babylonem & super habitatores ejus, qui cor suum leva-
 verunt contra me, quasi ventum pestilentem: *II. Reg. c. 24.*
v. 15. & 16. immisit Dominus pestilentiam in Israël de ma-
 ne usque ad tempus constitutum, & mortui sunt ex po-
 pulo à Dan usque ad Ber-sabee septuaginta millia viro-
 rum, cumq; extendisset manum suam angelus Domini
 super Jerusalem, ut disperderet eam, misertus est Domi-
 nus super afflictionem, & ait angelo percutienti populum,
 sufficit: &c. *Habacuc cap. 3. v. 5.* ante faciem Dei ambula-
 bat pestis, & carbunculus ante pedes ejus procedebat.
 Id sanè notandum, quòd Gentiles jam olim pestilentie
 causam Diis attribuerint; sic enim antiquissimus scriptor
Homerus sub initium *Iliadis* ob filiam *Chrysis* stupratam
 læsum *Apollinis* Numen telo pestifero in Græcos sæviisse
 memoriæ prodidit, & apud *Ovidium* *Lib. VII. Meta-*
morph. fab. 26. *Æginetis*, narrante *Æaco I.*

*Diva lues populæ irâ Junonis iniquæ
 Incidit;*

Similiter *Plinius Lib. VII.* memorat, *Manilius* cum *Capitoli*o expulsus esset, Deos *Capitulos* irâ perfosos esse, & contra Romanos sævissimâ peste egisse. Nec minùs videtur etiam eò respexisse *Hippocrates*, quando in *prænotionibus I. 14.* si quid divini in morbis inest, etiam hujus prænotionem ediscendam esse voluit; nam tametsi, accuratè dicente *Lindeno in Selectis Medicis II. §. 34.*, in omni morbo cujus neque indoles statim, neque curatio patet, nò deò causari superstitiosi sit, in peste tamen illud admittere cogimur; crediderim idèò allegatum hunc *Hippocr.* textum optimè illustrasse *Galenum in commentario*, quando nò deò interpretatus est ambientis nos aëris conditionem, non tamen eam, quæ in primis est qualitatibus, sed multo præstantiorem occultiolemq; monente *Charletono Exercitationum Pathologicarum X. §. 22.*, quam differte innuit *Hippocr. in lib. de natura humana textu 19.* dum ibi ait, quum unius morbi popularis grassatio consistit, manifestum est diætam non esse culpabilem, sed quem trahimus spiritum in causa esse, palamq; est insuper, eum ipsum spiritum sive aërem morbosam aliquam exhalationem (*νοσθητική ἀπόκρισις*) habere.

XIV.

Exinde verò nunc alia emergit controversia, utrumne astrorum phases positus & certæ conjunctiones, ac siderum in universum influxus, aërem similibus pestiferis miasmatis corrumpere possint? ubi quidem ex Astrologorum judiciariorum mente affirmativa sententia albo esset calculo probanda, siquidem

*Astra movent auram, movet aura salumq; solumq;
His homo vivit, & his planta tenella, cibus;
Sana bonos faciunt succos, malè sana putrentes,
Hinc putris in liquidum pestis origo venis;*

quem

quemadmodum id etiam factum ab *Alexandro Aphrodiseo*, *Avicenna*, *Valesco de Taranta*, *Fernelio*, *Ludovico Mercato*, *Alberto Magno*, *Duncanio Luddelio*, *Georgio Tholosano*, *Michaele Saxone*, *Matthia Mechonio*, *Andrea Angelo*, *Crusio*, *Trichemio*, *Jennerto*, *Matthæo Zeisio*, *Quercetano*, *Vnzero* &c. sicuti loca exitatis authoribus recensuit, atque argumenta præcipua succinctè proposuit *Isbrandus Diemerbræck* in tract. de peste lib. 1. cap. 8. annotat. problem. 1. pag. 20. & seqq. Sed cum negativam multò magis veritati affinibus argumentis solidè evicerit *Carolus de la Font* in *Dissert. 1. de veneno pestilenti* ap. 6., huic quoque me applicabo; ad minimum firmiter persuasus sum, ob astrorum innumerum numerum, atque tantam à globo nostro terr-aqu-aëreo eorum distantiam, humanæ mentis conjecturam non posse assequi certam aliquam noticiam, quibusnam astris & cuinam determinatæ cœlorum regioni generatio ejusmodi imminutum sit attribuenda? item an ejuscemodi malignæ virtutis effluvia non prius ab inferioribus causis producta & consequenter astris demum communicata fuerint? In ærea tamen astraluce, calore, motuq; in aërem & corpora nostra agere, & sub tali respectu illum sæpe intemperatum & vitalitati fovendæ non ubivis congruum fieri, hæc utem ad suscipiendos morbosos fomites sæpius disponi, ultro concedimus, & propugnabimus.

XV.

Causas igitur nunc scrutabimur inferiores & nobis propinquiores, à quibus aer sæpius corripitur & depravari solet: Nempe enim ipsa mater tellus ex gremio suo per ignem subterraneum propulsas mittit aporrhœas sulphureas, salinas, acres arsenicales, mercuriales, aliasq; minerales & metallicas, quæ subinde non solum aquas, verum etiam aërem ipsum subeunt & inquinant: Quemad-

modum enim teste *Georgio Agricola de re metallicâ lib. VI. p. m. 172.* in metalli-fodinis venæ & venulæ commissuræq; fa-xorum exhalant subtile quoddam virus, ignis vi expres-sum, ex rebus metallicis aliisque fossilibus, quod ipsum cum fumo sublevatur, non aliter ac pompholyx, quæ in officinis in quibus venæ metallicæ excoqvuntur, ad supe-riorem parietis partem adhærescit, atque si idem ex terra evolare nequiverit, sed deciderit in lacunas, atque eis in-nataverit, periculum conflare solet; etenim si quando aqua jactu lapidis aut alterius rei commota fuerit, rursus ex ipsis lacunis avolat, itaq; spiritu ductum homines infi-cit; sed idem magis efficit fumus igni nondum extincto. Corpora autem animantium isto veneno infecta plerum-que continuo turgescunt, & omnem motum ac sensum amittunt, sineq; dolore intereunt. Homines etiam e-puteis scalarum gradibus ascendentes, ubi virus incre-mentum sumserit, rursus in eos decidunt, quia manu non faciunt suum officium, globosæq; & rotundæ ipsi videntur esse, itemq; pedes, aut si bona fortunâ parum per læsi ex his malis evaserint, pallidi sunt, & similes mor-tuorum. Ita etiam similia effluvia extra cavernas subte-raneas exhalantes supra terram aquas & aërem inficiunt, quod ipsum inter alios quoq; testatur *Athanasius Kircheri Mundi subterranei Lib. V. Sect. IV. cap. 3. verbis seqq.* Certum tibi persuadeas velim, hasce antrorum fissuras pernicio-si spiritus exhalatrices, suam ex subterraneis cavernis ori-ginem ducere; infernus verò cavernarum aër multis mi-neralium succorum quisquiliis tinctus, mox ubi ab æstu-riis subjacentibus exagitatus fuerit, per hujusmodi fissuras eructatus effectus pro diversitate materiæ diversif-imos præstabit; si enim aer sulphuris adusti halitu tantum tinctus fuerit, is nonnisi avibus periculum adducet; cum bituminis adusti fæcibus mixtos halitus exeruerit

ecroticâ quadam vi infestabit omnia illa animalia, quæ incautius illa loca accefferint. Rursus si arsenico calcinato, antimonio, mercuriali liquore perfuso, tingatur aer, ne ullo remedio mortem cordis suppressione afferet animalibus; si gypseæ materiæ halitus fuerit, mixtâ vitrioli et aluminis portione, accedentes strangulabit. Atque hoc pacto pro materiæ venenosæ conditione differentia nascuntur symptomata; quas quidem pestiferas exhalationes procreat vel internus terræ, ut dixi, calor; vel vis ignium saxa cæterasq; minerales glebas adurens, cujusmodi inter alia sunt pyrites, stibium, quod antimonium vocant, cadmia, mercurius sublimatus & innumera alia, quæ aquis fortibus macerata, halitus emittunt adedò exhalationes, ut vel ad primum odorem exaniment. Quæ omnia experimento constant aurifabrorum aut ipsorum fossorum, quorum illi dicta mineralia dum tractant, nisi magna cautela procedant, horrendis irremedicabilibusque morbis infestantur, hi verò aperta subterranea quadam fontis cavernâ, hujusmodi halituum quisquiliis ita pronus consternuntur, ut subinde quotquot ibi laborant, ad unum omnes suffocati intereant.

XVI.

Notum cum primis est in viâ Puteolana antrum Cæcum, intrâ quod hi dimissi à sulphure narcotico obvenerint tenebricosâ vertigine correpti, & repente ἀφωροι mortui quasi videntur, mox tamen passibus quadraginta circiter inde distantis lacui Agnano dein immerfi vitam recuperant. Sicuti aliàs non leve impendit periculum hominibus ab effluviis sulphureo-narcoticis, quibus aer cellarum musta fermententia comprehendentium, aut laboratoriorum Chemicorum carbonibus accensis æstuantium, refertus est, nisi


nisi ventorum ventilabra liberius admiffa ejuscemodi effluvia discutiant aut diffipent.

XVII.

Id verò fidem fermè superat, ab *Helmontio de Lithia cap. 1. §. 18.* relatum, quod circà annum 1320. intra Ruffiam & Tartariam, in altitudine graduum 64, non procul palude Kitaya, Horda Baschirdorum penitus in petra transmutata fuerit cum toto armento, curribus, & armamento; dicunturq; etiamnum hodie homines, camelus, equi, greges, atque omne concomitans curruum & armorum genus, sub dio concretum, horrendo spectaculo, adhuc infaxata stare. Qualem effectum sicuti *Helmontius* illius tractus forti odori faxatili fracido exspirantibus suos inambulones necanti & transmutanti adscripsit; ita *Aventinus in Hist. Bavariae l. 7.* confirmare videtur, scribens plusquam 50. rusticos cum pecude à spiritu salino in terræ motu exorto suffocatos, & in statuas salinas at durabilis materiæ transmutatos, seq; cum Cancellario Austriae hominum pecorisq; simulacra vidisse.

XVIII.

Ex dictis igitur elucescit, effluvia varia morbifica e terræ visceribus ejusq; superficie aeri accedere: deprehendimus autem porrò supra terram hinc inde etiam similes aporrhœas eidem adjungi, & quidem: (1) à maribus, fontium, lacuum, stagnorumq; aquis exhalantibus, sicuti uti e. g. maris balthici accolæ salinas rigidiores cum aëre captant moleculas, scorbutum endemium foventem. (2) à carbonibus fossilibus pro igne exstruendo usualibus, quam ob causam aër Londinensis tabidis phthificisq; exitium minatur & infert. (3) à cloacis, fimetis, sterquilinis & aliis quibuscunq; foetida effluvia dimittentibus, ut idem rectè monuerit *Cl. Scretæ Tr. de febr. castrens. sect. 2. c. 3. p. 18.*



☉ I. ☉

GÖCKELI, præclara propago atq; æmula
proles,
Quandoquidem Phœbo nomen cum lau-
de dedisti,

Aëris infausti & quantum Vis corpora lædat,
dum exprimis, Ingenii Viresq; exponere tentas,
Hunc quoq; conatum laudo & quò sidere fausto
In Patria facias Medicam haud inglorius artem,
Egregii Patris exemplo, opto pectore amico,
Et Morbi possis, Mortisq; inhibere furorem.

*Nobil. & CLmo DN. RESPONDENTI,
amoris & honoris causa gratulabun-
dus adposui*

Mauricius Hoffmann, Med. D.
& Prof. Primar. Collegiij; utriusq; Altdorf.
& Nor. Senior.

☉ II. ☉

Βάλλ' ἔτως! γεραροῖο κατ' ἔχνη αἴοσε Γονῆ,
καὶ παρογόνων σεῦ Ἰητρῶν ἀνδρῶν πολυφύμων,
Σπαράζων περ' Ἀκροσείης, ΓΩΚΗΛΙΕ· Τιμὴ
Τῆς ἀρετῆς Σέοθεν δὴ πᾶσι σιωπέμπορ' ἔσαι.

*καρζίωδ' & δεηθέντ'
ἀνοπεδίασε*

Jacobus Pancratius Bruno, D.
& P. P.

III.

GOCKELI, Phœbi & Charitum dulcissima
proles,

Aëra morbosum scribere dum fatagis,
Aëra per patulum Laudes & Nomen Honosq;
Se Tua diffundent verticem ad usq; Poli;
Solis utramq; domum complevit Gloria Avita,
Tumet eris celebri nec Genitore minor!

Bono omine plenus

Nobiliss. & Clarissimo

DN. AVTORI RESPONSURO,
Fautori & Amico suo suavisimo,
de egregio Eruditionis
Specimine gratulabundus

αὐτοχαιρία

P R Æ S E S.

IV.

Il est bon, avoir leu, avec soin & adresse,
le Divin Hippocrate, & feüilletté Galien;
ainsi que Vous avez fait jusqu'icy sans cesse:
Mais tout cela pourtant ne suffit encor bien.

Au moins on ne doit pas receler sa Science;
mais plutôt en public montrer ce que l'on sait,
& mettre, comme Vous faites, en évidence,
& ce qu'on a appris faire voir en effet.

Ce savant Essay donc, dont je Vous felicite,
souhaittant, qu' il Vous cause & honneur & bonheur,
fera, mon cher Amy, Vous meriter ensuite
& remporter bientôt le chapeau de Docteur.

George André Reutter

Carnificibus Senatusconsulto ferio inculcandum esse, ne foetidas cadaverum quorumcunq; detractas pelles, antequam in altiori, ab urbe tamen remoto, loco bene exsiccatae fuerint, aedium superioribus contignationibus suspendant, alias per totam viciniam teterrimus inde exhans squalor maximo cum sanitatis detrimento dispergeretur, naresq; illic degentium perpetim feriret, imò grassante pecorum lue pelles nullo modo detrahant, sed ista cadavera profundioribus fossis integra occultent; (4) a defunctorum vel in bello trucidatorum corporibus inhumatis sub dio relictis, per putredinem resolutis, luem epidemiam saepius concitantibus, (5) ab aegris morbis contagiosis correptis pluribus in uno loco decumbentibus, aërem effluviis suis inquinantibus, ut per contactum virtualem contagium necessario multiplicetur; quod cum prudentiores bellorum Duces optime norint, aegros infectos in castris diutius morari haud sinunt, sed ad evitandum amplius contagii damnum in xenodochia mature ablegant. (6) ab aedibus recens extractis & tinctis, calcariis sulphureisq; narcoticis exhalationibus sanguini praecordiorum pulmonali, spirituiq; cerebri animali, intensissimis.

XIX.

Atq; hinc videtur *ως εν παρόδω* etiam commemorandum, aërem fulminum fulgurumq; sulphureo-salinâ narcotici & coagulativâ anathymiasis foetum saepius repentinae improvisae homines tradere neci, fluidorum catholicorum vitalium motum in momento intercipiendo, spirituumq; eclipsin inferendo; sicuti huic opinioni *Cardani* varietate rerum c. 43. observatio probabilitatis singularem speciem conciliat, quâ memorat, in Lemno Insula, ubi Insulae cornu dividitur, octo menses cum sub

C

quer-

quercu coenassent, à fulmine percussos & exanimatos
suum quemq; schema, sub quo discubuerat, retinuisse,
ita ut unus comedere videretur, alter ori poculum ma-
nu admoveere, alius bibere, cumq; omnes nigri essent,
imaginem totidem statuarum repræsentâsse.

XX.

Tandem etiam morbificus dici meretur aër, qui ob
ιδροσυνηγορία aliquibus hominibus adversus est, sicut e. g.
aër effluviis rosarum, moschi, ambraë, similibusq; odo-
riferis imbutus, feminis quibusdam hystericam concitat
passionem, aut capitis dolorem parit: Plura hâc vice ad-
dere nec libet, nec licet, etsi argumenti propositi ampli-
tudo plura suggereret, quæ in aliam reservabimus
occasionem.

SOLI DEO GLORIA
sit in æternum!

F I N I S.

COROLLARIA.

1. In aëre medicato præscribendo ad consuetudinem etiam re-
spiciendum est.
2. Bili ab omento particulas subministrari oleosas, non impro-
babile censemus.
3. Februm plerarumq; ortus à stagnatione fluidorum cathol-
icorum præviâ facile deduci potest.
4. Medicamenta Chémica dextrè preparata, atque à Medico
prudente decenter præscripta, tuta sunt.

✻ : (o) : ✻